

ΤΗΝ ΥΛΗΝ  
ΑΜΟΡΦΟΝ,

EX venia ORDIN. PHILOS. Acad.

Aboëns: Amplissimi,

SUB PRÆSIDIO

PRÆCELLENTISSIMI VIRI,

DN. PETRI HAHN,

Phys. Profess. Reg. & Acad. Bibl.

*Thesibus adumbratam perbreuibus,*

IN GRATIAM HONORUM PHILOS.

Ea qua par est modestia,

Eruditis publice exhibet examinandam

HENRICUS E. JUSTANDER.

Sch. Cath. Ab. Coll.

Die I. Junii, An. 1707.

*Loco horisq; solitis.*

---

Exc. Jo. Wal.

THE  
AMOTON

By  
A  
S  
ON  
P  
H

ON  
P  
H

ON  
P  
H



§. I.



Ituli, quem thesibus  
hice præfiximus, ὄνομα  
μαπλογίαν prolixius  
tradere, vetat non  
minus vocum quibus  
vis obvia significatio,  
quam infirmi, brevitatis puta habenda  
ratio; quapropter indigitasse saltem suf-  
ficiat, nos titulum nostrum mutuatos,  
â libr. Sap. Cap. XI. v. 18. quem D.  
Schmid. in Romanum idioma transtulit  
vocibus: *Materia informis*. Ne autem quis-  
piam, eâ de causâ, quod ex libro de-  
sumtus sit apocrypho, nos canonici au-  
toritate & fulcimento existimet destitu-  
tos: Ecce locum parallelum, a Mose  
ΘΕΟΠΡΕΪΣ Gen: I. v. 1. 2. consignatum. Sap.

cit. loco subjectum est, *mundus*, *ceu totum*: Mofi *cælum & terra*, *ceu potiores partes*, per synecdochen. Prædicatum in sap. libr. sunt ὕλη ἄμορφος; apud Mosen בהו תהו

## §. II.

**P**rolixam litium seriem, de genuino *cæli & terræ* significatu, & connexionis vers. 1. cum 2. ratione, pariterque, epithetorum ibidem expressorum, applicatione, exiguæ non ferunt nostræ pagellæ; quamobrem harum cupidum ad commentat: super hunc locum, qui plures sunt, officiose ablegatum volumus. Nos D. Gerh. expositionem acceptamus, qui isthic loci, per *cælum & terram* indigitari putat rudem quandam & indigestam molem, confusam ac nondum dispositam massam: rationemque hujus appellationis per πρόληψιν desumptam, a termino ad quem, sine nimirum, quia DEUS materiam illam eo fine produxit, ut cælum & terra ex ea postmodum formarentur. Nodus connexionis

nis facilis est solutu: nam in v. 1. a Mo-  
 se facta est propositio generalis creatio-  
 nis, ubi ut nobilius priori loco ponit *cœ-  
 lum*. v. 2. orditur specialem expositionem,  
 quo ordine omnia sint creata, per sex  
 dies creationis, quapropter oportuit  
 reassumere primò terram, licet ignobi-  
 liorem, exigente id creationis ordine,  
 in quo DEUS â centro mundi cœpit.  
 Applicationis haud difficilior: nam  
 quamquam de cœlo non dicatur τὸ *va-  
 cuum & inane*, tamen ob paritatem pro-  
 ductionis utriusque & deinceps factæ  
 dispositionis, cœli indispositio ex terræ  
 colligitur, atque ut terra, tertio demum  
 die distinctum suum esse accepit, sic tu-  
 o, concluditur cœlum, cum cæteris cor-  
 poribus perficiendis fuisse confusum.

## §. III.

**E**victo sic ut speramus, vocibus *cœlum*  
 & *terra* intimari ὕλην ἀμορφου ejusque  
 statum vocibus *אֶרֶץ בְּרָא*; prius propter  
 defectum determinationis ad certam spe-  
 ciem; posterius ex defectu determinatio-

nis ad certum locum: Et quoniam hæcce  
 vocabulatalem notationē habent in *mun-*  
*do jam condito*, ceu patet ex *Jes. XXXIV.*  
*v. II. & XXIV. v. 10.* quid obstat, quin  
 eandem in *mundo condendo* retinere liceat?  
 Ponimus proporro hanc *informem mate-*  
*riam*, totius mundi seminarium, immedia-  
 te ex nihilo creatum; idque ex emphasi  
 dictionum *ברא בראשית*: prioris, princi-  
 pium non solum temporis ut placet ple-  
 risque, verum etiam secundum D. Ger-  
 hard. temporis, materiæ, loci, omni-  
 umque creaturarum innuentis. posterioris,  
 interprete D. Schmid. *semper signific-*  
*antis alicujus ex nihilo productionem, siue*  
*substantiæ siue accidentis, ita quidem, ut vel*  
*res tota ex nihilo producat, vel in præjacent-*  
*ze materia aliquid ex nihilo producat, quod*  
*nec in potentia illius materiæ fuerit, nec ex illa*  
*absque divina virtute educi potuerit, & sub*  
 notatione *creare* in S. Script: de solo  
 DEO usurpari. In qua jacebant cælum  
 & quatuor elementa quoad suam sub-  
 stantiam, sed in statu confuso & indistin-  
 cto, quibus *אלהים* sequentibus diebus  
 verbo



verbo omnipotenti Ps. CXLVIII. 5. esse dedit distinctum, convenientes & idoneas iisdem adaptando formas. Quantum ad lucem primigeniam, illam præeunte Sacr. Script. substantiam materialem non accidens esse, probamus (a) ex emphasi vocis  $\eta\mu$  primario existentiam, quæ substantiarum est, exprimentis, ( $\beta$ ) ex productione sua, peculiari actione, ceu docet v. 3. & ( $\gamma$ ) mobilitate, per accessum diem, recessum vero noctem, interdistinguenta ex v. 5.

§. IV.

FACTA itaque, ea qua par erat diligentia, perlustratione historię creationis, adhibitis simul requisitis huic labori necessariis non incommodè divisa est à summis Viris in *immediatam* & *mediatam*: ad illam, opus primi diei, productionem rudis materię, cælum cum quatuor elementis & luce primigenia continentis: ad hanc, ejusdem materię informationem, consistentem (a) in distinctione earum ac dispositione per tres dies facta, ( $\beta$ )

(β) in exornatione at consumatione tribus posterioribus diebus subsecuta, referentes.

§. V.

**P**orro, quamquam cœlum & quatuor elementa, primum massæ immerfa, erant chaoticæ, sequentibus tamen diebus accedente vi creatrice distinguente, plane distinctum esse accepere, ut nec materia nec forma convenirent, sed a se invicem diversa forma & materia tam cœlo quam elementis essent. Haud secus in opere mitionis res est cum elementis, in sua minima divisis, quæ omnium corporum mistorum principia materialia revera licet sint, cum quælibet eorum in eadem principia resolvî debeant, exinde tamen non sequi, materiam aliquam dari maximam, per totum orbem dispersam formisque gaudentem diversis. Sed, cum nec sola materia, nec forma, nec forma cum materia quacunque, verum certa, elaborata

&



& ad leges naturæ formata, certum constituit corpus, idcirco hinc inferimus, cuilibet speciei suam competere formam & in *σωματολογία* formæ quidem rationem habendam, sed nec materiæ negligendam esse.

## §. VI.

SERMONEM nostrum, de materiis cœli & elementorum ita volumus accipiendum, ut inter cœlum & elementa distinguatur constituenda, cujus respectu pertinent ad creationem *immediatam* ex nihilo factam & sic valet. illud:

Materiam noli quærere nulla fuit; & sequentibus diebus constituta, sic materias hisce non minus quam cæteris, *mediata* creatione productis, adscribimus, hunc in modum: *Omne corpus naturale habet materiam, cœlum & elementa sunt corpora naturalia, E. habent materiam.* major clara est: *quia materia & forma sunt cause internæ corporis naturalis.* Præterea: *Omne quantum habet materiam, cœlum & elementa*

*sunt quantā, Ergo habent materiam. Major patet, quia quantitas insequitur materiam.* His observatis, frustraneam offendimus illorum operam, qui materiam cœli constituendi ponunt in aqua, quia Moses dicit: DEUS dixit, fiat expansum de medio aquarum. Verum cœlum cum (*a*) sit levissimum, & sursum feratur & nullis mutationibus obnoxium, quomodo ex aqua velut materia constet, elemento gravi, deorsum tendente. (*β*) commodius locum hunc *terminative* quam *materialiter* intelligi debere Cœlum primo die creatum in rudi latebat materia, nunc jussu altissimi evocatum ac sursum eductum, proprium suum locum occupavit (*γ*) nominis Ebræi דַּבְּרָה ratio nisi conciliari possit, neque cœli materiam aqueam esse confirmabit. (*δ*) Breviter: cœlum de nihilo productum est non minus quam terra, esto itaque parium parilis ratio.

§. VII.

**T**ot sunt in mundo species, quot fuerunt in prima creatione. Non plures: quia sic statueretur, Creatorem nondum opus absolvisse creationis, quod tamen Scriptura, sex peractis diebus factum, ipsumque quievisse, diserte asserit. Nihil nostræ assertioni obstant varia genera Monstrorum suas species mutantium, nec Cometæ & novæ stellæ: quorum illa maculæ individuum, hæc corpora extraordinaria sunt. Neque pauciores: ita enim aliquarum admitteretur interitus, quod in creationem continuatam seu conservationem Divinam rerum omnium, & generationem, tamquam sufficientia continuandis speciebus, impingeret.

§. VIII.

**C**onservationem omnium specierum, non posse stare sine propagatione

individuorum in quacunq; specie, ma-  
 nifestum cum sit, testibus ratione & ex-  
 perientia; in quæstionem venit, unde  
 illa individuorum propagatio & specie-  
 rum perpetuitas? respondet Aristot. lib.  
 2. de anim. Cap. 4. T. 48. & asserit, *ge-  
 nerationem dare aternitatem caducis*; & hoc  
 non inepte: quia vivit homo in homine,  
 brutum in bruto, arbor in arbore, her-  
 ba in herba. Sed unde hoc? a Plaste; qui  
 quemadmodum cujusvis speciei indivi-  
 duis in creationis opere simplicem de-  
 dit existentiam, ita absoluto creationis  
 opere, his existentiam indidit actuo-  
 lam, per generationem simile sibi pro-  
 ducendi speciemque conservandi cum  
 dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete  
 terram*: quibus verbis, ea tantum jussit  
 propagari & multiplicari corpora, quæ  
 nisi generationis fecisset capacia, non  
 forent corruptionis, cui obnoxia sunt,  
 expertia: non vero corpora simplicia,  
 quæ quoniam natura sua sunt ingenera-  
 bilia & incorruptibilia, ideo multipli-  
 catio-

catione sui, per generationem haud indigentia.

## §. IX.

**G**enerationis oppositum est corruptio, quæ est passio corporis viventis, qua illud in minima sua resolvitur. Non igitur putandum omnia corpora naturalia senio confici, sed ea duntaxat, quæ, propter materiam, quam habent ex particulis elementaribus conflata, in minima possunt resolvi. Hominis enim corruptio sive in pulverem mutatio, quid est? nisi corporis misti in particulas minimas resolutio: rupto enim induciarum fœdere quod natura pepigit, mixta corpora in sua principia resolvuntur. Cætera autem corpora, quæ simplicia vocantur, senii sunt nescia & omnem respuunt corruptionem naturalem.

## §. X.

**N**e sicco plane prætereamus pede, quam, si non primo, fortasse prolixius tradere debuissemus, paucis ultimo



attingemus loco quæstionem: *an luce rationis humane, alicujus e nihilo creatio possit demonstrari?* hujus pro affirmativa Vendelini & Casman: unam alteramve apponere lubet rationem. Vendel: (α) si DEUS ad productionem Entis necessario requireret materiam, sequeretur DEUM in actione esse Ens dependens, & proinde infinitæ virtutis non esse: quod perfectioni divinæ e diametro contrarium. (β) Si ex nihilo aliquid produci nequit, sequitur aliquid in nihilum reduci non posse. Utrumque enim est ejusdem virtutis, at consequens fallum: Ergo. Assumptio probatur: si aliquid extra DEUM in nihilum reduci non posset, si maxime DEUS vellet, sequeretur primo DEUM omnipotentem non esse: deinde esse aliquid extra DEUM, quod a DEO in esse non dependeret, quod non minus necessario esset quam ipse DEUS; quæ longè absurdissima esse sana ratio agnoscit, nec ullus sanæ mentis Philosophus inficiari potest. Casman:



(*a*) *m*odus agendi sequitur modum Es-  
sendi. Et quale est esse cujusque rei;  
talis est actio. Sed DEI esse  $\hat{a}$  nullo pen-  
det, nihil præsупponit nihil, ( ut ita lo-  
quar ) præsупponit. Ergo in agendo  
etiam nihil ut necessarium, quod ante  
requiratur, quam fiat, postulat. ( *$\beta$* ) Omni-  
bus hominibus innata est hæc notitia,  
DEUM esse ens primum, perfectum,  $\hat{a}$   
nullo pendens, per se sufficiens, nullius  
indigens. Ergo etiam naturaliter no-  
tum esse debet, DEUM ad agendum  
per se sufficere, nec indigere ulla mate-  
ria, ex qua operetur. Harum proba-  
bilitatem haud inficiamur, posthaben-  
dam tamen, cognitioni ex lumine re-  
velato haustæ, cum D. Gerhard. cense-  
mus, cujus in hanc quæstionem mens  
hæc est: distinguere scilicet vult ille (*a*)  
inter causam & effectum i. e. inter Cre-  
atorem & creationem. ( *$\beta$* ) inter creatio-  
nem γενικῶς latè & abstractè sumtam,  
& ειδικῶς stricte & concrete, adeoque  
formaliter acceptam. ( *$\gamma$* ) Inter poten-  
tiam

tiam & actum Divinæ potentia. Plura super hac materia comminisci ventant subsidiorum defectus, temporis angustia & muneris cura: Neque etiam pauca hæc ob causas prædictas limatius mihi elaborare licuit. Hæc itaque

B. L. pro candore tuo quin  
 interpreteris optime, nullus  
 dubito.

SOLI DEO GLORIA!

